

uti in privilegio Widerolfi episcopi, ubi episcopi Mogontiensis mentio fit, in margine legimus 'Archi' adiectum; in ipso privilegio scriptum est 'Archiepiscopi Mogontiensis', et alia plura.

Secundo quia Martène huius monasterii historiam una serie proponit. Quae tamen in nostro codice est seiuncta, ita ut, multis aliis censibus, redditibus, mansis interiectis, aliud exordium posterioris huius Chronici partis inveniamus et videamus duos fuisse autores et genus scribendi diversum. Quod si Martène hunc codicem in manibus habuisset vel alium fideliter descriptum, haec omnia annotare non neglexisset.

Tertio ex ipsius Marteni testimonio addiscimus, quod imperfecto admodum codice usus fuerit; nam in admonitione praevia Chronici nostri ita loquitur: 'Illius historiam, scilicet de fano Dianae in Ebersheim exstructo, reperimus in vetusto codice Novientensi, ab annis circiter 400 scripto, auctoris nomine destituto, quem tamen monachum eiusdem coenobii fuisse constat, qui circa annum 1235. scripsisse videtur'. Hinc enim facile apparet ignorasse Martenium duos esse autores huius historiae et per consequens ipsius codicem fuisse demum aliquo tempore, postquam noster scriptus fuerat, per alium in unum contractum.

Quare etiam Martène conciliare non potuit, quod in eodem Chronico, quod finitur circa annum 1235, idem autor, ut praesupponit, dixerit se vidisse portarios et pistores et molendinarios monasterii de claustro proiectos — quod tamen accidit circa annum 1039¹ — et circa sec. XII. medium se vidisse etiam illis temporibus energumenos duos, virum et mulierem, ante altare S. Mauritii curatos². Hoc autem fieri non potuit, inquit Martène, quod idem autor, qui vixit a. 1235, viderit res gestas a. 1039. et circa medium sec. XII. Ex quibus tricis ut se expediatur, statuit illum monachum, qui anno 1235. hanc historiam composuit, veterum lucubrationes tantum descripsisse; quod suppositum tamen hic falsum est. Si nostrum inspexisset codicem, nullum ipsi superfuisset dubium; nam facile perspexisset non una serie haec fuisse scripta, sed diversis temporibus a diversis autoribus. Sed nec autor partis prioris nostri Chronici illa videre potuit, quae anno 1039. acta fuerunt, quare aut duos prioris partis scriptores statuamus necesse est, aut cum Martenio etiam

1) Erst um 1060; vgl. unten S. 171.

2) c. 28, SS. XXIII, 446.